DIÖZESE
INNSBRUCK

Digitales Archiv

Beurkundung

Pfarrarchiv Matrei am Brenner

18.04.1471

Digitales Archiv

Shelf Mark: 6.7754.A.U1.115

CC-BY-NC-ND-Lizenz (4.0)
Creative Commons Namensnennung - Nicht kommerziell - Keine Bearbeitung 4.0 International Lizenz

urn:nbn:at:at-dai-57714

Visual Library

In nomine domini Amen. Noverint universi et singuli hoc presens publicum instrumentum inspecturi visuri pariterque et audituri Quod anno a nativitate domini millesimo
quadringentesimo septuagesimoprimo indictione quarta decimaoctava die mensis aprilis pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini pauli divina providencia pape
secundi anno eius septimo hora quinta vel quasi post meridiem in domo Augustini Haurling opidi Matray Vallis Wippeal Brixinen. dioc. in presencia honorabilium viro-
rum magistri Hainrici propositi vicarii in Matray Leonardi Lesser de Stegen Brixinen. dioc. Jeori Lautterschwalb presbiteri Frisingen. dioc. Reverendus in christo pater et
dominus Franciscus miseratione divina tituli Sancti Eustachii Cardinalis diaconus legatus a latere palmonam aperuit fontem misericordie ad quasdam ecclesias fili-
ales parrochie Matray tribuit et concessit que sequuntur. Franciscus miseratione divina tituli Sancti Eustachii Cardinalis diaconus legatus a latere palmonam
universis et singulis christifidelibus salutem in domino sempiternam. Splendor paterne glorie qui sua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de ipsius cle-
mentissima maiestate et misericordia sperancium tunc precipue benigno favore prosequitur cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis
adiuvatur. Cupientes igitur ut ecclesia filialis parrochie Matray Sancti Nicolai in [illegible] dedicationis et Sancti Nicolai Brixinen. dioc. congruis
honoribus frequentetur et christifideles eo libencius devotionis causa confluant ad eandem quo ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se re-
fectos de omnipotentis dei misericordia ac beatorum petri et pauli apostolorum eius meritis et auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis qui dictam ec-
clesiam in eandem etiam devote visitaverint et annuatim ut fuerint ibidem atque de bonis sibi a deo collatis pro ipsius ecclesie structura ac ipsius ornamentorum augmento
et reparatione manus porrexerint adiutrices centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus presentibus perpetuis duraturis. Quas quidem ego notarius
infrascriptus litteras requisitione annuente volens infrascriptos testes fideliter cum personis idoneis collationavi et audivi et huiusmodi sub signo publico et subscriptione
meis consuetis ipsis dedi et concessi de et super quibus omnibus et singulis et super dicti testes a me notario publico unum vel plura publicum seu publica instrumentum et
instrumenta petivere. Acta sunt hec anno indictione pontificatu die hora quibus supra presentibus testibus ibidem discretis viris domino Hainrico presbitero Basiliensis dioc. Thome
Schabler cive in Hallis Vallis Eni Jeorio Monter ibidem Jeorio Mannadorffer de Flamarch ad premissa vocatis et rogatis specialiter et requisitis

Et ego Fridericus Kleplat presbiter Frisingen. dioc. publicus sacra imperiali auctoritate notarius
quia predicte requisitioni omnibusque aliis et singulis dum sic fierent ut superius premittitur fierent et
agerentur una cum prenominatis testibus eaque sic fieri vidi et audivi a prenominatis testibus idcirco
hoc presens publicum instrumentum exinde feci scripsi subscripsi publicavi et in hanc publicam formam
redegi signoque et nomine et cognomine meis solitis et consuetis signavi in fidem et testimonium
omnium et singulorum premissorum

1/ 1471

V

No 1/3.

Ablaßbrief f. die St. Nikolauskirche.
von Franciscus Cardinalis S. Eustachii
Legatusque a lat.

115